

3 + 4 / 88

IDIBVS APRILIBVS

MCMLXXXVIII



RVMOR VARIVS



TOMUS II

FASC.70

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	ÖS 140.--
In ceteris Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans maria sitis	U\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	ÖS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	U\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Cari legentes

Hac praefatione gratias maximas ago omnibus, qui ad decimum RVMORIS VARIII anniversarium celebrandum litteras gratulatorias miserunt! Quas cunctas invenistis divulgatas fasciculum 1+2/88 perquirentes sub titulo "Ordo Rumori Vario decem annos nato congratulantium"... Profecto magna res et festivitati anniversariae maxime digna fuit his litteris lectis intellegere, quot amicos libellus noster ubique terrarum habitantes adhuc numeret! Quae autem voces gratulatoriae - non dubito quin ipsi animadverteritis, cari amici! - opus nostrum libellorum Helveticorum Latinorum edendorum partim plane, id est sine ulla condicione, celebraverunt et laudaverunt, partim verbis hortantibus amicaliter coniunctis monuerunt, ut symbolis in Rumore Vario publicatis semper - ut e.g. scripsit amicus noster doctissimus eruditissimus P. Caelestis Eichenseer Saravipontanus - "verus color Latinus attendatur et observetur". Quid argumenti talibus verbis opponi potest? Plane confiteor: Parum! Omnia enim vota in his litteris gratulatoriis expressa recte meritoque dicta vel potius scripta sunt! Nos omnes Rumorem Varium edendum curantes pollicemur nos eorum semper memores futuros esse. Quae cum ita sint, mihi tamen liceat monere vicissim: Quascumque symbolas Rumore Vario divulgandas domui editoriae mittatis, cari legentes: Curate, ut imprimis attribuant ad hanc finem: ut libellus noster et futuris temporibus maneat, quod semper esse volebat, vult, volet: quasi forum, in quo sententiae Latinitatem amantium inter se interdum maxime diversae litteris divulgatis disputentur! His dictis adiungam alterum nostri libelli finem non minorem: efficere, ut symbolis alacribus hilaribusque omnes legentes iterum iterumque delectentur. Nimirum neque mendis

scripturae neque erroribus nec Latinitate culinam redolente
legentes delectare in animo est, sed lepore et facetiis.
Valete!

U. Aeschlimann
Udalricus Aeschlimann



Cantemus, o amici!

Cari legentes,

ecce carmen quoddam in linguam Latinam verti, quod cum
discipulis Basiliensibus cantatura sum. Ad vos mitto
sperans fore ut alia quoque carmina vertantur et edantur.

MEVM OPPIDVM (Z'Basel an mym Rhy...)

Z'Basel an mym Rhy,
jo, do möcht i sy,
weiht nit d'Luft so mild und lau,
und dr Himmel isch so blau
z'Basel, z'Basel,
z'Basel an mym Rhy.

Aber uf der Pfalz
alle Lüte gfallts.
O wie wechsle Berg und Tal
Land und Wasser überall
vor der Basler Pfalz.

Uf dr breite Bruck
fürsi hi und zruck,
nei, was sieht me Herre stoh,
nei, was sieht me Jumpfere goh,
uf dr Basler Bruck.

Meum oppidum
situm ad Rhenum:
Rhenus est caeruleus,
et aer est tepidus.
Basilea,
mea patria!

In Palatio
valde gaudeo.
Inde patet regio
valliumque legio,
in Palatio.

Ponte medio
saepe ambulo.
Dominos et dominas
strenuos et teneras
libet ire Ponte Medio.

Wie ne freie Spatz
uffem Petersplatz
fliegi um, und s'wird mer wohl
wie im Buebekamisol
uffem Petersplatz.

Petri in area
mens est libera.
Glorians circumvolo
similis puerulo
ibi in Petri, Petri area.

Mihi adhuc non contigit ut verterem "S'isch mer alles ei
Ding". Coepi quidem "Interest non mea, semper laetis-
sima...", neque vero placet.

Cui nota sunt carmina eius modi?

Valete!

Hanna Haas - Scheibler

Carmina Lienertiana

Inter poetas Helvetios ineunte saeculo nostro Meginradi
Lienert(ii) nomen maxime floruit. Ille vir Einsidlensis
clarissimus ab anno 1866° usque ad annum 1933um vixit.
Composita sunt ab eo non modo carmina plurima vitam
agrestem et montanam optime describentia, sed etiam
narratiunculae et narrationes eodem loco agentes. Varias
exercuit professiones, quia et iuris peritus et
commentariorum compositor et poeta erat.

Ex libro, qui Theodisce "Fünfzig Lieder aus dem
Schwäbelpfyffli" inscribitur, quattuor carmina in linguam
Latinam verti. Sed fortiter lectoribus suadeo, ut ea legant
lingua originali Einsidlensi, cum versio Latina vix possit
reddere mirificentiam eius linguae!

AVTVMNVS (Herbst)

Nunc tempus moriendi
per nostrum repit rus.
Colores sol vertendi
est omnes cupidus.

's will wider eis as Stärbe
dur üsers Ländli goh.
D' Wält tuet si brunlacht färbe
dä Sunneporte noh.

Mustelam heri vidi
iam foris niveam
volantum cadunt nidi
ob auram rapidam.

Tunc lecti usurpantur,
dum foris cadit nix.
Eorum, qui venantur,
rumores audis vix.

Avertunt te in vernum
iam tempus somnia,
nil plangit nisi sternum
et horologia.

Ha gester vor em Hüsli
äs wysses Hälmli gseh.
Au goht es rässes Bysli.
Aes grächet is ä Schnee.

Dä lyt me ufe Pleger,
und luegt, wie's dusse schnyt.
Und lost, äs wie im Jeger
sy Schutz äs Echo git.

Dä loht me d' Träum lo spinne
durs Stubli lanzigwärts,
und 's rodt si nümeh dinne
as 's Schwarzwaldzyt und 's Härz.

IN VALLE PROFVNDI (Im teuffe Tal)

Qua saevit, en, procella
in altis Alpihus!
Favonius qua stridet!
Hic non est strepitus.

Wie gwirbets's obenusse!
Wie stürmt's höich über d' Alp!
Los, los, wie tuet dr Föhne!
Keis Muxli bodez'thalb.

Sunt omnia tranquilla
procellae echo iam
ut fletus vallem explet
hanc profundissimam.

Ist alls sä still und rüöbig.
Vom Sturm ä Widerhall
blöiss briegget wien äs Göifli
im teuffe, teuffe Tal.



CARMEN CREPVSCVLI (Dimmerliedli)

Nox instat, quodam loco
sonatur cornibus.
Et caprae et pastores
petuntur domibus.

Es will is afoh dunkle;
es horned neimewo.
Es wend si Geiss und Geisser
is Döirfli ineloh.

Vexilla tenebrosa
nox tolli iubet iam;
quae appropinquant saeptis
per terram publicam.

D' Nacht loht die schwarze Fähne
dur d' Teuffene ufgoh.
Mi gseht's scho gäge Gatter
dur d' Allmend usecho.

In vico congregata
sunt nunc itinera,
eodem agunt more
domorum lumina.

Es hend si alli Gässli
im Dörfli zämeto.
Und i de Stube d' Liechtli,
si mached's au äso.

Videntur invitandi
mi omnes homines,
ut animas in unum
cor fundat mea spes.

Und 's ist mer, all Lüt müessed
hüt i mis Stübli cho,
Und mit mer iri Seele
i eis Härz zämeloh.

MARIVLA NVDA ('s blut Marieli)

Mariula lavatur
lacuna stabuli.
In aqua ea saltant
et solis radii.

's Marieli will go bade
is Güntli vor em Stall.
Wer tanzet jetz im Wasser?
Aes und ä Sunnestrahl.

Ornatam bene vestem
in herbis posuit,
ni cilia et crines
non quicquam ingerit.

Aes het sis ghüslet Röckli
i d' Ankeblueme gleit.
Blöiss 's heiter Augebrönli,
und 's Tschüüpli hät's nu treit.

Noverca tunc accurrit:
"An, hercle, caeca es?
Es nuda plane tota!
Quam mala ista res!"

De chunnt d' Stüfmueter z'jaste:
"Ach Jesses, bisch du blind?
Dä bist jo blutseelnakig!
Aech Gott au, wele Sümd!"

Mariula in aqua
tuetur speciem.
Ut frons in vento tremit
ob hanc imaginem.

Und undereis im Wasser
gseht 's Chind sis Helgli stoh.
Aes zittred wien äs Läubli,
und möcht schiergar vergoh.

Corripitur pudore
fringillum speciens.
Flos nonne eam spectat
ex herba obstupens?

Aes schämt si vor em Finkli
im Stüüdli näbed dra.
Und gschaued 's nüd all Blueme
mit grosse Auge a?

Nam flosculis, en, cunctis
punctatae vestes sunt,
et herbae immo vanae
iam bracas ingerunt.

Hät jo jedweders Blüemli
äs gspreggleds Pätzlichleid
und jedes nütigs Gresli
grasgrüeni Hösli treit.

Mariula ex eo
est timidissima.
Cum vitrea sit visa
mens eius antea,

Und sider ist 's Marieli
sä schüüch äs wien äs Reh.
Hät sust si Seel durs Aeugli
wie dur nes Schybli gseh.

nunc, si quem frequentarit,
occultat ciliis
ut velis stellas suas
oclorum teneris.

Verkunt em jetzed neimer,
loht's übers Aeugli blo,
as wien äs gfransts Umhängli,
sy Augehörli goh.

Martinus Meier

Graecorum philosophorum sententiae

Bias philosophus, cum interrogatus esset a Pittaco sapiente, quid sit difficillimum in vita, respondit: "Se ipsum noscere", et illo iterum rogante, quid sit facillimum, Bias: "Alium vituperare".

Esse ridiculum bona a deis precibus petere et simul certas res postulare Aristippus dixit. Medicos enim aegrotis cibum et potum non eo tempore dare, quo illi eum peterent, sed eo tempore, quo illis utilia esse existimarent.

Loquaci et molesto homini obviam eunti Theophrastus: "Ubi mihi potestas est", ait, "te cras non videndi?"

Iudex factus inter duos homines improbos, quorum alter alterum furti incusavit, Diogenes, postquam utrumque audivit, dixit: "Tu non videris perdidisse, quod petis; te autem subripuisse, quod negas, existimo."

Navem conscensurus tempestate imminente Demonax philosophus ab amico interrogatus est: "Nonne metuis, ne piscibus devoreris, si navis tempestate deleatur et submergatur?" Tum Demonax: "Ingratus essem, si indignarer, quod a piscibus devoror, qui ipse tot eorum comederim."

Diagoras, ille philosophus, qui nullos deos esse dixisse fertur, nave iter fecit. Magna tempestate orta nautae fremebant et querebantur: "Non est mirum nos taliter laborare, quia impius Diagoras in nave est." Tum Diagoras digito alias naves, quae non minus laborarent, monstravit et "Num in illis quoque navibus" inquit "Diagoras navigat?"

Aristippus e Cyrene Athenas navigans naufragio facto ab Atheniensibus receptus est. Ibi de philosophia loquendo muneribus donatus est, ut victum sibi praestare posset. Interrogatus, quid civibus suis diceret in patriam reversus, respondit: "Talia bona nobis acquirenda sunt, quae e naufragio quoque servari possint."

Nobis assuescendum esse parvis opibus vivere, ne pecuniae causa turpia committamus, Aristippus dixit.

Aristippus se a discipulis pretium poscere dixit non, ut suum victum quaereret, sed, ut illi pecuniam in bonis rebus consumere discerent.

Theophrastus: "Cum iudicaveris, diligere oportet", ait, "non, cum dilexeris, iudicare."

Audiens aliquem dicentem sibi nullum hostem esse Chilon sapiens dixit: "Ergo neque amicus tibi est."

Lucis participem esse visum ex aere, animum autem e scientiis Zenon dixisse fertur.

Interrogatus, quid sit difficillimum factu, Chilon respondit: "Maxime de rebus arcanis tacere et otium bene disponere et iniuriam sibi illatam ferre posse."

"Etiam si e philosophia nullum alium, tamen illum fructum cepi," ait Aristippus, "ut casibus et eventibus vitae sana mente obviam eam."

* * * *

Magnum pretium sumendum esse et a discipulis bona indole praeditis, quod multum proficientes magnum usum habent, et a discipulis tardo ingenio, quod discentes docentibus magnos labores afferunt, Aristoteles dixisse traditur.

Oportere talia facete dicta esse, ut audientes gaudeant, narrantes autem non pudore afficiantur, Theophrastus dixit.

Natantem in piscina et ab hominibus laudari studentem videns Socrates se mirari dixit, quod illum delphini operam bene agentem, hominis autem non scientem non puderet.

Interrogatus, quid simile deo sit homini, Aristoteles respondit: "Potestas benefaciendi."

Querenti alicui et maledicenti homini, qui pecuniam mutuum sumptam non reddidisset, Aristippus: "Tibine non maledicis," ait, "qui non bene deliberaveris, cui pecuniam dares?"


"Ut scientia multarum rerum variarum modo multum usui est," inquit Protagoras, "ita modo multum quoque nocet."

Eruditionem alterum solem esse eruditus Heraclitus dixit.

Daniel Weissmann

SOLUTIONES

... aenigmatis, quod vobis in priore Rumoris Varii fasciculo proposuimus, hic demonstrantur:



ERRATA

in Rumoris Varii fasciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debuit
1+2/88	4	anniversaria festivitates	anniversaria festivitas
	19	AD "NATHAN MODERNUS"	AD "NATHAN MODERNUM"
	22	Iordanus Brunus	Iordanus Bruno

RVMORIS VARIi domus editoria

Nuntii miri e scientiis

STREPITUS IN MARIBUS OCEANIS

Atque etiam ipsis in maribus oceanisque profundissimis silentium aeternum - ut plerique pro certo sumunt! - inveniri omnino non potest. Magna autem multitudo animalium marinarum - ut exemplum adferam - sicuti pisces, cancri, atque adeo conchae conchylicae et terebentes navales (Schiffsbohrwürmer) strepitant certe, bombax mehercle, sicuti pueri agrestes in viis stratis oppidorum nostrorum. Impressiones autem in taeniis sonigeris seu sonantibus seu phonotaeniis factae (Tonbandaufnahmen) manifestum, heu, fecerunt patefeceruntque strepitus tumultusque stupendos mirosque, qui saepissime similitudinem habuerant cum mugitu boum, cum stridore sirenarum (Sirenengeheul) atque cum pulsu malleorum (Hammerschlag). Sonorum intentio seu volumen (Lautstärke) adaequat sane quidem limen doloris aurium humanarum. Tales autem strepitus tumultusque - ut exemplo utar - causam praebuerunt materiamque dederunt dispersonibus minarum seu cuniculorum navalium (Seeminen) admodum sensibilium contra strepitus, quae sine omni causa manifesta temporibus belli mundani seu pancosmii primi et secundi temere ac fortuito et casu saepissime iam disploserunt.

CAVETE FULGURA!

Occasione data monendum est de socordia incuriaque dum cooritur tempestas cum fragore fulguribusque tonitribusque, nam quarta pars et vero et certo fulgurum (fulminum) attingit atque percutit terram! Id autem hominibus intutis sub divo iam fatum letale fore potest. Periculum ingens iam imminet videturque adesse, si tonitrus sequitur fulgur iam decem solum secundis peractis. Vita hominis iam periclitatur, quod fulgur - quae si ita sient - solum tria chiliometra (tribus chiliometris) nunc abest!

QUAM LONGE AUDIRI POTEST TONITRUS

Si (in) finiente circulo seu infinito seu horizonte auditur tonitrus etiam infrequens tenuisque nihil est, quod extimescas, nihil habes, quod timeas aut metu sollicitaris, nam tempestas etiam nunc comparate longe abest. Tonitrus auditur demum longo spatio XXXV chiliometrorum interiecto sub condicionibus atmosphaericis bonis et ceterum (de cetero) silentio absoluto et perfecto praevalente. Primo autem tonitru - ut usus rerum docet - tempestatem etiam nunc XXV fere chiliometra abesse existimare potest. Fulgur autem videri potest - si ita res se habet - solum etiam noctu ut fulgetrum luridum.

UTRUM CAMELOPARDALIS PLUS VERTEBRARUM CERVICALIUM HABEAT QUAM MUS AN NON?

Lectori benevolo hoc plane necopinanti accidit, nam non solum camelopardalis, sed etiam mus habent eundem numerum vertebrarum cervicalium, etenim septem. Id etiam convenit cum ceteris animalibus vertebratis, duobus autem animalibus exceptis, quae a natura ceterorum animalium vertebratorum discedunt. Bradypus etenim tridactylus (Ai, dreizehiges Faultier), in quo fere nemo id coniectaret quod spectat ad collum breve curtumque eius! - quin etiam habet **novem**, sirenia (Seekühe) autem solum **sex** habent vertebrae cervicales. Homo autem, summum animal vertebratum, ad normam habet **septem** vertebrae cervicales.

AMICUS



Facete lepideque dictum.

Auriga casu autocinetico (1) torpidus (2) factus oculis rursus apertis e viro prope se stante quaerit, quid sit actum. - Ille "Velocitate" inquit "ducentorum et viginti chiliometrorum horali (3) arbori collisus es." - "At, mehercle, cur rotam moderatricem (4) manu teneo, domine medice mi?" - Tum alter: "Non sum medicus, sed Petrus, neque rotam moderatricem manu tenes, sed lyram."

- | | |
|------------------------|--|
| 1) casus autocineticus | Autounfall, car accident, accident de voiture |
| 2) torpidus, -a, -um | ohnmächtig, faint, évanoui |
| 3) velocitas horalis | Stundengeschwindigkeit, horal speed, vitesse horaire |
| 4) rota moderatrix | Lenkrad, steering-wheel, volant |

Daniel Weissmann



ATTENDITE, ATTENDITE,
dominae Latinitatis amantes venustatisque vestrae studiosissimae! Carmen meum, cui titulus "ARTES PULCHRITUDINIS", in tres libros divisum, nuperrime in commentariis Latinis, qui "Hermes Americanus" inscribuntur, editum est. Vosne formosas semper iactare vultis? Corpusne floridum semper habere vultis? Omniumne virorum oculos in vos semper pellicere vultis? Mihi scribite, quae-so, exemplar vobis libentissime mittam.

Prof. Florindo Di Monaco
Via Michele Monaco, 152
I - 81054 San Prisco
ITALIA

QVAERENDVM EST, UBI ROBERTUS MAIER ET MATTHIAS HEYDEN HABITENT...

nam eorum tractatio nuperrime in Rumore Vario titulo DE COMPVTATRIS publicata digna est, ut aliquo praemio honoretur. Quod praemium autem his duobus tractationis auctoribus adhuc solvere non possumus, quia eorum inscriptio cursualis nobis plane ignota est! Quam ob rem oramus et Robertum Maier et Matthiam Heyden: Indicate nobis quam celerrime litteris inscriptionem cursualem vestram, ut denique praemium vestrum optime meritum accipiatis!

RVMORIS VARIII domus editoria

SEMINARIVM LATINVM HELVETICVM

Hoc anno 1988° iterum "Seminarium Latinum" erit in vico Morsaco (Morschach) supra Lacum Quattuor Pagorum (sive Regionum) sito. Per integram septimanam (a die 24° mensis Quinctilis sive Iulii usque ad diem 30um eiusdem mensis) Pater Dr. Caelestis Eichenseer OSB Germanus Saravipontanus et tirones et iam solitos in usum linguae Latinae hodiernae introducet. Facile erit in regione tam amoena Latine loqui!

Quid facies, carissime lector, suavissima lectrix, si hoc seminarium participare cupiveris? Primo inscriptionem cursualem Tuam dabis ANTE DIEM 15UM MENSIS MAII Ericae Roth, Aeschistrasse 6, CH-3110 Münsingen (num. tel.: 031/92 08 23). Deinde 120 marcas Germanicas mittes ad hanc inscriptionem: VOX LATINA, Universität FR 6.3, 18353-661 Postgiroamt Saarbrücken, Germania. Quae pecunia solvenda est tantummodo instructioni. Pro victu et habitatione circiter francos Helveticos 55.-- cottidie solvere debebis, sed non in antecessum.

OMNES, QVI RVMORI VARIO SYMBOLAS DIVVLGANDAS MITTATIS, ROGAMVS

... ut et nomen et inscriptionem cursualem vestram non modo involucro, sed etiam manuscripto ipsi inscribatis. Involucra enim in domo editoria Rumoris Varii abiciuntur, manuscripta sola a nobis servantur. Cum autem alia ratione facere non possimus: qua via vobis pecuniam pro symbolis vestris Rumore Vario divulgatis anno exeunte transferamus, si nomina inscriptionesque harum auctorum non novimus? Gratias vobis maximas agimus, si huius consilii memores esse velitis, quodcumque nobis scribatis. Valet!

RVMORIS VARIi domus editoria

De cohortibus praetoriis Helvetiis Francogallicis

Acroasis die consessus anni Societatis Latinae Turicensis - die Saturni - septima feria - 16° mensis Maii - die festo sancti Iohannis Nepomuceni - anno ab incarnatione Domini Salvatoris Redemptorisque 1987°, ab urbe condita autem ante diem 17m Kalendas Iunias - die etenim post festum Mercurii Maiaeque - anno 2740°, indictione Romana 10a, a sodali AMICO Turici in oppido Helvetiae habita.

Gens studiis belli asperrima.

PVBLIVS VERGILIVS MARO, Aeneis I, 14

Sodales, socienni, soldurii,
iureiurando confoederati Helvetii!

Anno autem praeterito 1986° Vobis, o sodales confoederatique, de cohorte praetoria Helvetica pontificia diligentissime rettuli, nunc autem - die constituta consessus anni hornotini societatis nostrae inclutae Latinae Turicensis data oblataque - hodierno die rem anno priore institutam euscheme prothymequo porro tractare absolverequo meum esse puto officium necessarium.

Ortae autem sunt cohortes bellandi virtutibus insignes praetoriae Helveticae Francogallicae a prima origine e centuria initio "Centum Helvetii" (Francogallice: les Cent - Suisses) dicta.

Cohortes autem Helveticae originem ducunt seu répetunt a 500 Helvetiis, quos olim Iohannes II de Andecavorum Civitate, dux Calabriae Lotharingiaeque (Francogallice: Jean d' Anjou, duc de Calabrie et de Lorraine), filius Renati Pii regis Neapolis Siciliaeque atque Isabellae ducissae Lotharingiae, - die Solis seu dominico 12° mensis Augusti anno 1425° natus atque die Solis seu dominico 16° mensis Decembris anno 1470° diem obiit extremum - anno fere 1470° ad Francogalliam secum duxit. Rex autem Francogalliae Ludovicus XI - die Saturni 03° mensis Iulii anno 1423° natus dieque Saturni 30° mensis Augusti anno 1483° diem obiit extremum - , filius Caroli VIIIi regis Mariaeque de Andecavorum Civitate reginae, pater Caroli VIIIi regis, virtutes militum mercennariorum seu conducticiorum Helvetiorum praeter ceteros aestimavit atque anno 1478° 6000 eorum in exercitum Francogallicum adscivit. Sed demum Carolo VIII° filio Ludovici XIIi regnante (1470-1498) constituta est centuria "Centum Helvetii" nominata. Primus autem eius centuriae "Centum Helvetii" nominatae centurio fuit Ludovicus de Mentone (Francogallice: Louis de Menton).

Eo autem tempore - anno fere 1496° - centuria "Centum

Helvetiorum" constitit ex 100 militibus gregariis atque 27 officariis et subofficiariis.

Centum autem Helvetii qui dicuntur vocanturque stipendia fecerunt seu meriti sunt in domo regia ut custodes ianuarum valvarumque cubiculorum regionum. Caeremoniis semper regiis interfuerunt atque praecipue carrucam regiam custodierunt. Centurio autem eorum - caeremoniis sollempnibus datis oblatisque - magnifico splendidoque vestitu indutus semper ante regem ipsum est spatiatu.

Centum autem Helvetii bipennibus armati atque ut fieri solebat vestitu caeruleo - rubro induti erant. Anno autem 1771° tandem novum vestitum militare acceperunt pro usu campestri melius adaptatum.

Magistratus autem Helvetii eo tempore cum maioribus Europae potestatibus pactiones fecerunt de rebus specialiter militaribus, in quibus inscripta erant "capitula militaria" (quae dicuntur), secundum illa "Corpus Helveticum" (Francogallice: Corps Helvétique) ut dicitur copias expetitas pro lucris immensis mercatoriis exhibuit conscripsitque.

Verae autem cohortes praetoriae Helveticae Francogallicae tandem demum die Saturni 12° mensis Martii anno 1616° sunt constitutae. Diem exactum accuratumque instructionis cohortium nobis memoriae prodidit Franciscus de Bassonis Petra (Francogallice: François de Bassompierre, Theodisce: Franz von Betzstein), 1579-1646, marescalcus seu supremus Francogalliae exercituum praefectus, filius autem Christophori de Bassonis Petra, frater Georgii Africani de Bassonis Petra, patruus Francisci Annatis de Bassonis Petra (1612-1646), qui anno 1614° tribunus fuit generalis pagorum Helveticorum Grisonumque. Scripsit autem ille in "Libro diurnali de memoria vitae suae" (Francogallice: Journal de ma vie) verba haec: "Anno autem 1616° decrevit Ludovicus XIII rex (1601-1643) - itinere ad Aquitaniam coniugii petitionis causa feliciter peracto -, ut ex custodibus Helvetiis eo tempore Caesaroduno Turonum in oppido castra stativa habentibus regimentum completum militum Helvetiorum siet faciendum die Martis 12° mensis Martii anno 1616°."

Regimentum autem illud praetorium comprehendit 12 centurias. Unaquaque centuria primum solum habuit: 3 officarios, 1 centurionem, 1 locumtenentem seu subcenturionem atque 1 vexillarium. Postea autem centuria habuit: 5 officarios, 8 optiones, 4 satellites seu stipatores, 6 subofficiarios, 6 exemptos seu duplicarios seu beneficiarios (Francogallice: anspessades, a verbo Italo: lancia spezzata, id est lancea fracta. Illi autem nobili loco nati genereque illustres milites delecti circumciderunt seu fregerunt lanceam longam copiarum equitatus pro usu copiarum peditatus), insuper 1 fistulatorem seu tibicinem atque 5 tympanotribas.

Secundum edictum regium die Mercurii 01° mensis Iunii (Kalendis Iuniis) anno 1763° palam factum et in vulgus editum regimentum illud praetorium Helveticum compositum erat ex 16 centuriis:

- 1 centuria generali (Francogallice: compagnie générale), quae in fronte omnium aliarum centuriarum semper iter fecit,
- 11 centuriis fociliatorum (Francogallice: compagnies de fusilliers) atque
- 4 centuriis granatariorum (Francogallice: compagnies de grenadiers).

16 illae centuriae formaverunt 4 bataliones quaternis (4) centuriis.

Centuria autem generalis habuit praetorium speciale seu singulare compositum ex:

- 1 iudice campestri seu militari seu auditore maiore (Francogallice: auditeur major), nam regimentum habuit proprium forum seu iudicium.
- 1 sacerdote seu praedicatore campestri seu militari (Francogallice: aumônier militaire),
- 1 secretario intérprete,
- 1 medico campestri seu militari,
- 1 chirurgo regimenti,
- 1 serviente generali (Francogallice: sergent général),

- 1 tympanista maiore (Francogallice: tambour - major),
- 1 marescalco seu designatore hospitiorum castrorumque (Francogallice: maréchal des logis),
- 1 metatore seu pabulatore (Francogallice: fourrier),
- 1 proposito (Francogallice: prévôt),
- 16 musicis campestribus sive militaribus atque
- 1 sublocumtenente (sous - lieutenant) aut vexillario (enseigne).

Omnis autem centuria fociliatorum composita erat ex:

- 1 centurione (capitaine),
- 2 locumtenentibus seu subcenturionibus (lieutenants),
- 2 sublocumtenentibus (sous - lieutenants),
- 6 servientibus (sergents),
- 2 pabulatoribus (fourriers),
- 12 exemptis seu duplicariis seu beneficiariis (Francogallice: lancespezzates, anspezzades, Theodisce: Gefreite),
- 1 tympanista (tambour),
- 132 militibus gregariis seu manipulariis fociliatoribus (soldats simples fusilliers, gemeine Füsiliere).

Omnis autem centuria granatorum composita erat ex:

- 1 centurione (capitaine),
- 2 locumtenentibus seu subcenturionibus (lieutenants),
- 2 servientibus (sergents),
- 1 pabulatore (fourrier),
- 4 subofficiariis (sous - officiers),
- 4 exemptis seu duplicariis seu beneficiariis (lancespezzates, anspezzades, Gefreite),
- 1 tympanista (tambour) atque
- 40 militibus gregariis seu manipulariis granatariis (soldats simples grenadiers, gemeine Grenadiere).

Centuriae cohortium praetoriarum Helveticarum Francogallicarum castra habuerunt stativa in suburbiis Lutetiae Parisiorum urbis, exempli gratia: Curavia in oppido (Francogallice: Courbevoie), Ro(to)ilo - Mala Mansione in oppido (Francogallice: Rueil - Malmaison) atque Noviliaco ad Sequanam (Francogallice: Neuilly-sur-Seine).

Omnis centuria cohortium praetoriarum Helveticarum accessit e pago patrio definito - centuria quidem generali excepta, cuius milites ex omnibus 13 pagis Helvetiis sunt conquisiti.

In cohortibus praetoriis Helvetiis liberum de rebus divinis iudicandi arbitrium seu libera ad credendum potestas patuit militibus. Stipendium autem militum bis tantum effecit comparatum cum stipendio copiarum ceterarum Francogallicarum.

Edicto autem speciali vétitum erat exempli gratia regi Francogalliae milites cohortium praetoriarum Helveticarum vi cogere contra Germaniam, Hispaniam aut Italiam bellum gerere, quoniam quidem nationes illae etiam milites auxiliares mercennarii seu conducticii "Corporis Helvetici" sub armis tenebant. Apud Francogallos ad finem saeculi XVIIIi e.g. 15000 fere Helvetii sub armis fuerunt.

Rerum publicarum Francogallicarum commutatione seu perturbatione civili seu revolutione Francogallica iam imminente et impendente cohortes praetoriae Helveticae breviter ante diem illum fatalem, diem Veneris 10m mensis Augusti anno 1792° Lutetiam Parisiorum in urbem iussae sunt. Incolae autem Parisienses aversati et omnibus precibus detestati sunt cohortes Helveticas ob fidem domui regiae odiosae servatam.

Centuriones autem Zusler(us) atque Castelberg(us) ("Castellomontanus") cohortium Helveticarum, qui hoc die fatali praefuerunt custodibus Tegulariarum (Francogallice: Tuileries), dispari proelio seu inaequo Marte contenderunt dimicaveruntque cum tumultuum concitatoribus et seditionis participibus atque sclopetaverunt collato pede graduque Marte - ut ita dicam - usque ad extremam emboli thecam Theodisce: bis zur letzten Patronenhülse). 200 milites cohortium centurionibus Zuslero Castelbergoque ducentibus iubentibusque in acie comminus pugnantes decertantesque mortem oppetiverunt. Vix paucis momentis temporibus plebs ultima seditiosa seu sentina urbis - ut ita dicam - se infundit in omnia cubacula Tegulariarum. Immanem in modum

interficiuntur, enecantur, interimuntur, conciduntur, comminus omnes illi Helvetii infelices, eiciuntur alii e fenestris pacem deorum nequiquam exposcentes, contis hastisque crudeliter transfodiuntur. Usque ad mortem valde acerbam milites fideles cohortium vitam profuderunt, ut defensarent domicilium regium seu palatinum interea iam derelictum.

Atque haec quidem hactenus impraesentiarum, o sodales!

Haec autem habui de cohortibus praetoriis Helvetiis Francogallicis, de cohortium institutione et constitutione atque de earum interitu tristi quae Vobis, o sodales, foras et in medium proferrem omniaque de his rebus deinceps ordine edocerem. - Habeatis nunc meam de hac re opinionem, meum de his rebus iudicium. - Multi autem optumorum populi fortis Helvetii vir(or)um vitam animamque amiserunt et pro causis dubiis potestatum alienarum imperiorumque externorum inaniter interfecti sunt atque tempus aetatemque pro his igitur omnibus rebus frustra contriverunt. Quae cum ita sient res, quibus rebus examussim expositis, satis id, quod erat propositum atque consilium, demonstrasse docuisseque (mihi) videor, satis id intellegi posse apparereque puto: mercede aliena militare stipendiaque facere nomenque dare profiterique militiae dedecori turpidinique esse viro honesto inter omnes homines doctos diutissime constat. Vetustatis enim exempla docent vestigiaque loci temporisque nosmet posteros graviter vehementerque admonent, vires nostras obnix pro rebus nostris ipsis unice proprieque insumere atque totum se dedere, operam dare, prospicere consulereque omnibus viribus atque opibus inservire salutis totius humanitatis, id re et veritate nostrum esse puto: Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes! (Publius Vergilius Maro, 70 - 19 a. Ch. n., Aeneis XI, 362).

Macte semper virtute, macte etiam ingenio, sodales confoederatique Helvetii, este!

Dixi (et animam meam salvavi)!

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

3+4/88

IDIBVS APRILIBVS

MCMLXXXVIII



RVMOR VARIVS



TOMUS II

FASC.70